



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 108. Damnatio libri Joannis de Falckenberg.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

quadringentesimo decimo quinto Septam Sæcul. XV.  
eripuerat, subsidiariis armis juvarent. A.C. 1418.

§. CVIII.

*Damnatio libri Joannis de Falckenberg dilata.*

Cum interea Gnesnensis Archiepiscopus cum Imperatore Parisis ageret, ibidem seditiosum invenit librum, quem Johannes de Falckenberg Cameneciensis Dominicanus contra Regem, regnumque Poloniæ in gratiam Equitum Teutonicorum ediderat; quo circa Archiepiscopus Constantiam redux illius Auctorem ibi adhucdum commorantem carceri mancipari jussit. Ceterum libellus iste inscriptus erat ad omnes Reges, Principes, Prælatos, ac denique universim ad cunctos Christi fideles, quos ut in Polonorum ac Ladislai eorum Regis interitum conjurarent, adhortatur, spe facta, se æternæ felicitatis præmia consecuturos. Habetur in Dlugoffo Polonicae Historiae Scriptore damnationis sententia auctoritate Concilii in hunc librum lata, quæ, quamvis concordi suffragio decreta fuisset, nihilominus eam in nulla Sessione publica confirmatam legimus. Certum tamen est, quod Pontifex, qui cum adhuc Cardinalis esset, eidem subscriperat, ad Equitum Prussorum preces illam irritare.

*Dlugoff. de reb. Polon. l. 21. p. 576.*

Sæcul. XV. tare, vel saltem quodammodo mitigare  
A. C. 1418. conatus fuerit.

## §. CIX.

*Polonorum provocatio a Papa ad fu-  
turum Concilium.*

Verum hæc Pontificis indulgentia tan-  
topere commovebat Polonus, ut non  
modo actionem denegatæ justitiae insti-  
tuerent, sed etiam de electione Martini V.  
ad futurum Concilium provocarent. Ho-  
runi caussæ suffragati sunt Galli, eoquod  
Falckenbergii præcepta parum aut nihil  
discreparent a Joannis Parvi propositioni-  
bus. Verum nec illi nec isti impetrare po-  
terant, ut libellus Joannis Falckenbergii,  
aut Ducis Burgundi vindiciæ a Joanne  
Parvo compositæ in plena Synodo damna-  
rentur.

## §. CX.

*Gersonii tractatus pro Polonis.*

*Gerson. to. 5. p. 1014.* Hoc factum ægerrime tulit Gersonius,  
& in quodam Dialogo Apologetico  
hac de re, soluta jam Synodo, elucubrato,  
accerrime conquestus est. Itaque docet,  
in Caussis fidei licere appellare a judicio  
Papæ, cum hoc judicium non foret infal-  
libile, prout tamen esset judicium Conci-  
lli Generalis. Ex quo deducit, quod in  
materia fidei *nulla determinatio Judicialis*  
*Episco-*